

CONCILIVM PROVIN. COLONIEN.

Itrifores ecclesiasticorum ieiuniorum refelluntur.

Cap. III.

Coloss. 2.
1. Timo. 4

Qui ecclesiæ ordinationem irrident, illiq; diuum Paulum opponunt, quasi is ieiunijs ecclesiasticis contradicat, grauissimam vtriq; contumeliam (Apostoli doctrinam dedita opera adulterantes) inferunt. Non em ecclesia aliquod cibi genus perpetuo interdixit, aut Iudaicum ciborum delictum contra apostolicam doctrinam inuexit, quinimo cum Paulo semper docuit, doctrinam esse dæmoniorum, cibum aliquem immundum iudicare, & prohibere, quem deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognouerunt veritatem, Quod scilicet omnis creatura dei bona sit, & nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sed potius ecclesia veteris legis ac apostolicorum virorum exempla sequuta, ieiunia quædam publica certis diebus indixit, iubens tum a carnibus abstinere, & cibus aridioribus vti, non quod carnes immundæ sint, sed vt luxuriam temperetur. Qua de re in Gangrensi Concilio (quod non multo post Apostolorum tempora obseruatum est) pari censura damnati sunt, tum hi qui nonnullos cibos carniū illicitos reputarunt, tum illi qui præter necessitatem corporalem superbientes, ieiunia communia totius ecclesiæ putauerint contemnenda, perfectam in sua scientia rationem vindicantes, quos anathema esse, Concilium illud decreuit. Atque alia multa (quæ nunc in contentionem rursus vocantur) vt succincte admodum, ita Christianissime apostolico spiritu diffiniuit.

Ex Concil.
Gangren.

Ecclesiæ constitutionem charitati cedere.

Cap. IIII.

Cum vero crimentur hostes ecclesiæ eius institutum, non videmus, quum ipsa nulli iniiciat laqueum, quod hanc constitutionem adeo ligere non velit, vt vel charitati vel necessitati minime cedere debeat. Quinimo liberum facit, quolibet tempore quibuslibet vesci, modo id vel charitas vel necessitas suadeat, adhibito tamen vtriusque medici (si præsto sint) aut saltem alterius, nimirum animæ consilio.

e. consiliū de
obser. ieiū.

Quid in ieiunio potissimum spectandum.

Cap. V.

Iam quum in ieiunijs ratio potius indictionis quam abstinentia ista a carnibus spectetur, admonendus est populus quum ieiunandum erit, non minus sumptuosa & proluxa illa piscium fercula quam carniū vitanda. Bellaria item illa, magis quam carnes inflammantia.

Redarguuntur qui Quadragesimæ obseruationem contemnunt.

Cap. VI.

Qua